

## OCTAVUM.

(Ex decreto, quod est librorum sexdecim, libro decimo quarto, capite secundo.)

*Et malum ebrietatis omnino vitetur.*

Malum magnum ebrietatis, unde omnia vitia pululant, Christianis modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decrevimus, usque ad congruam emendationem.

## NONUM.

(Ex eodem, capite tertio.)

*Quod episcopi et Dei ministri ebrietate non debeant gravari.*

Episcopi et Dei ministri, non debent comessationibus et vinolentiis nimis incumbere, sed considerent sententiam Domini, dicentes: *Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc., XXI; 1 Thess., III*). Moderate enim cibum, et neces-

A sarium sumptum sumant, ut juxta apostolum, sobrii sint, et parati ad servitium Dei.

## DECIMUM.

(Ex eodem, capite decimo.)

*Quales personæ sacerdotum epulis interesse debeant.*

Observandum est nobis, ut et vos ab ebrietate abstinatis, et ut plebes subditæ abstineant, prædicetis. Et neque per tabernas eatis bibendo, aut comedendo, neque domos aut vicos curiositate qualibet peragretis, neque cum feminis, aut cum quibuslibet personis impuris, convivia exerceatis, nisi forte paterfamilias quilibet vos invitaverit ad domum suam, et cum conjuge sua, et cum plebe velit vobiscum spiritali gaudio lætari, et verborum vestrorum refectionem accipere, et vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere. Oportet enim, ut si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur spiritalibus epulis.

## SYNODUS MESOPOTAMICA ARCHELAI.

Synodus divina et sacra particularis, collecta in Mesopotamia ab Archelao Carcharorum episcopo, et Diodoro sacerdote, contra Manem infernalem, et Diodonadem presbyterum: quæ multis modis confutatos hosce abdicavit.

Σύνοδος θεία καὶ ἱερὰ μερικὴ συναθροισθεῖσα ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, ἀπὸ Ἀρχελαίου ἐπισκόπου Καρχάρων, καὶ Διοδώρου ἱερέως, κατὰ Μάνεντος τοῦ ἱερεώδοξου, καὶ Διοδωριάδου πρεσβυτέρου· ἧτις πολυτρόπως τοῦτοις ἐλέγησα ἀπεκέρυξαι.

## DE S. CAIO ROMANO PONTIFICE

## NOTITIA HISTORICA.

*Caii papæ pontificatus et obitus.* — Sanctus Caius, quem Pontificale Damasi tradit, natione fuisse Dalmatem, ex genere Diocletiani, ex Patre Caio, ut putat Coutantius, quem sequuntur Auctores *L'Art de vérifier les dates*, in locum Eutychiani suffectus fuit anno Domini 185, die XVII decembris, feria secunda (1). *Erat vir maguæ prudentiæ, magnæque virtutis*, ut est in Actis 8 Sebastiani (2). Ab eo confirmatum dicitur institutum Ecclesiæ vetus, ut Clerici per septem ordinum gradus documentum fui dantes; tenderent ad episcopatum (3). Quæ præterea gessit pontificem agens per annos duodecim, menses quatuor, et dies quinque, latent tenebris obruta vetustatis, vivere desiit x kalendas maii, Diocletiano VI et Constantio Cæsare II consulibus, ut in catalogo Bucheriano legitur: de quo etiam indiculus depositionis addit: *Decimo kal. maii, Caii in Callisti*. Cæterum si fides catalogis romanorum pontificum habenda: *Caius fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitans confessor*

*quievit*. Inter martyres tamen ejus memoria in nonnullis martyrologiis recensetur. Nec mirum, cum eo titulo ii etiam aliquando exornarentur, qui etsi pro Christi fide certantes, vitam cum morte non commutassent, nihilominus pro pietate, dum viverent, persecutiones, ludibria, labores perpessi, in pace quieverant: quod Caio pontifici contigisse dubitari non potest, qui sub imperatoribus Diocletiano et Maximiano pontificatum tenuit. Minus etiam accurata est Eusebii Chronologia (1) dum annis quindecim circiter et usque ad sua fere tempora romanam sedem occupasse ait; quem annum decimum tertium vix attigisse constat.

*Caii Decretalis subdita.* — Unicam Caio romano pontifici decretalem, Felici episcopo datam, inscripsit Isidorus, sex capita complectentem. Primum, paganos et hæreticos non posse accusare christianos. Secundum, episcopum non esse accusandum apud iudices sæculares. Tertium de episcopo, presbytero et diacono, vel reliquis clericis, apud episcopos accusandis. Quartum de his, qui negant Verbi Dei incarnationem. Quintum, quod ad spem vitæ æternæ perveniri non possit, nisi per mediatorem Dei et hominum Jesum Christum. Sextum, de ordinibus ec-

(1) Coutant., *Epist. rom. pontif.*, tom. I, p. 306, cui etiam adstipulatur Mansi in not. ad annales Baronii.

(2) Act. Sanctorum, apud Bolland., die 20 januarii cap. 18.

(3) Septenarius Odinum numerus est in Epistola Cornelii Papæ apud Euseb., *Hist. eccl.*, lib. VI, cap. 43.

(4) Euseb., *Hist. eccl.*, lib. VII, cap. 32.